

dam probationem. Nicol. Boër, *decis.* 164. num. 17. fol. 293. Mascard. *Vol.* 2. *Concl.* 491. num. 10. fol. 30. 3. In iis, quæ directò probari, aut etiam sensu corporis percipi, & expressè cognosci non possunt. Ratio est, quia si testis in illo casu dicere, se scire, subiret periculum perjurii, etenim quia non potest deponere de vera scientia, statur ejus dicto de credulitate. Campegius *de Testib. Reg.* 209. pag. 681. Farinac. *l.* 3. *Tit.* 7. *qu.* 69. num. 81. 82. fol. 382. *Oper. Criminal.* 4. In casu ubi de peritia alicujus artis deponere oportet, uti Medici & obstetrices sæpe non nisi de credulitate attestari possunt; quinimò ipsi non propriè tanquam testes, sed potius tanquam Judices assumuntur ad illum causæ articulum judicandum. Hinc dicit Bartolus: *Periti deponunt de credulitate.* M. Anton. Blancus *Pract. Crimin.* pag. 359. n. 86. Bartol. de Saxo Ferrato. *n.* 12. pag. 37. Vide & Carpz. *part.* 3. *qu.* 114. num. 56. & 60. fol. 132. *Pract. Criminal.* Sed quid si testis de proprio auditu deponat? tum nullum est dubium, quin hoc modo sufficienter probet, quia ea ratione potest causam dicti per sensum corporis deponere.

ARTIC. LXVI.

Testes idonei, qui dicantur.

Von gnugsamen Zeugen.

D Gnugsame Zeugen seynd/die unbelumbd/und sonst mit keiner recht-
mässigen Ursach zu verwerffen seynd.

AD ARTIC. LXVI.

ARGUMENTUM.

Testes idonei & legitimi sunt, quibus nihil potest opponi, ob quod a ferendo testimonio repelli possint; sed qui tam ratione personæ, quam ratione vitæ inculpabiles reperiuntur, ita, ut nullò modò eorum dignitas in dicenda veritate infringi, aut eorum idoneitas in dubium vocari queat.